



00  
ta

134

AD FVNVS  
GENEROSISSIMAE DVM VIVERET  
*DOMINAE*  
DOROTHEAE AVGVSTAE  
MARGARETHAE DE WINDHEIM  
NATALIBVS MOSHEMIAE  
*VIRI*  
MAGNIFICI AC GENEROSISSIMI  
CHRISTIANI ERNESTI DE WINDHEIM  
H. T. ACADEMIAE PRORECTORIS  
PROFESSORIS PHILOSOPHIAE ET I.L. OO. PVBL. ORDINARII  
SOCIETATIS GERMANICAЕ ERLANGENSIS DIRECTORIS GYMNASIIQUE SCHOLARCHAE  
CONIVGIS DESIDERATISSIMAE  
D. XXVII MART. ANNO MDCCCLXI  
PIE DEFVNCTAE  
SVPREMO DE CENTIS COMITATVS OFFICIO  
COHONESTANDVM  
ACADEMIAE FRIDERICIANAE EXPRORECTOR  
D. ANDREAS ELIAS ROSSMANNVS  
ACADEMIAE H. T. PROCANCELLARIUS  
SERENISS. MARGGRAVIO BRANDENB. CULMBACENSI  
A CONSILIIS AVLAE IVRIS AC HISTORIARVM  
PROFESSOR PVBLICVS ORDINARIVS  
*VNA CVM*  
SENATV  
PERAMANTER INVITAT.  
—  
ERLANGAE  
TYPIS IOANNIS DITERICI MICHAELIS CAMERARII  
ACADEMIAE TYPGRAPHI.

AK



# MARGARETHE DE ANDRE

## ZATIARAE MOSHEMIAE

CHRISTIANA HISTORIA  
MAGNITUDINE ET DIVERSITATE  
MATERIALIS ET MENSURÆ



Quam dura mulierum apud Afros sit conditio,  
qui variarum gentium mores atque institu-  
ta norunt, haud ignorabunt. In primis Fessani et  
Maroccani, licet ad libidinem maxime proni sint,  
nilque existimant miserius, quam vxoribus carere,  
tantum tamen abest, ut sexui feminine tribuant ho-  
norem debitum, ut potius inepte credant, mulieres  
eam tantum ob caussam viuere, ut liberos pariant,  
maritisque ministrant. Caeterum illas contemnunt,  
ac pro nihilo putant, adeo, ut illis ne quidem fana  
intrare, conuentibusque, religionis caussa institutis,  
interesse liceat. Contra antiquissimi maiores nostri,  
vti prope soli barbarorum singulis vxoribus fuere  
contenti, ita etiam summa illas obseruantia colue-  
runt. Exulabat tunc e Germania nostra omnis ele-  
gantia, illiusque incolae erant aut in armis, aut in  
venationibus, aut iuxta focum atque ignem totos  
dies agebant; tegumenque eorum erat sagum, fibu-  
la, aut, si decesset, spina consertum. At mores tam  
inculti haud efficiebant, ut negligeretur sexus mulie-  
bris, sed ipsi illi Germani barbari, TACITO teste, fe-  
minis

ALBANAS CIVILITATIM IDEOCTICUS DILEXIT IN LIBRIS  
ANTHROPOGOGIA SKRIB. S. 17.

minis sanctum aliquid ac prouidum inesse putabant,  
 earumque consilia audiebant diligenter, immo supra  
 humanam conditionem illas extollere solebant \*).  
 Deinde, quum populares nostri litteras amare inci-  
 perent, minime putarunt, feminas esse ab earum  
 cultura arcendas; immo illo tempore, quo in reli-  
 quis Europae partibus vix ac ne vix quidem viri ani-  
 mum ad artes ac scientias appulerunt, patria nostra  
 protulit nonnullas feminas litteratas, e quibus Had-  
 uigem, Suevia ducem, et Rositham, virginem fa-  
 cram Gandershemensem, hic nominasse sufficiat.  
 Recentiori autem aetate plurimfeminarum, eruditio-  
 nis laude illustrium, nomina in fastos litterarios relata  
 sunt; quas inter iure meritoque numeranda est, quam  
 praematura eheu! morte ante aliquot dies amissimus,  
 GENEROSISSIMA, dum viueret, DOMINA DOROTHEA  
 AVGSTA MARGARETHA de WIND-  
 HEIM; cui contigit, ut cum natalium splendore,  
 omnibusque sexus sui ornamentis, etiam variarum  
 linguarum, multarumque rerum excellentissimarum  
 cognitionem coniungeret. Patrem habuit virum,  
 dum viueret, summe reuerendum atque perillu-  
 strem, IOANNEM LAVENTIVM de MOS-  
 HEIM, immortale illud academiae Iuliac, deinde  
 Georgiae Augustae decus, de eius meritis, nominis  
 celebritate, ac muneribus, quibus functus est, gra-  
 uiissimis copiosius agere, plane superuacaneum foret.  
 Mater fuit ILSABE MARGARETHA zvm FEL-  
 DE, summac virtutis spectataeque exiftimationis  
 matrona, quae, anno huius saeculi XXVI. d. XIII.  
 Iunii, Helmaestadii exoptatissimam hanc filiam pe-  
 perit. Non ita multo post obitus tam carae coniu-  
 gis optimo marito incredibilem adferebat moero-  
 rem; quem tamen minuebat rursus aufpicatissimum  
 illius matrimonio cum incomparabili matrona,

( 2 )

ELISA-

TAC. de M. G. c. VIII.

ELISABETHA DOROTHEA de HASELHORST, quae non vt nouerca, sed tamquam mater germana, amavit DOROTHEAM AVGVSTAM, mentemque tenellam praeceptis egregiis, maxime autem suo exemplo, optime formauit. Idem postea fecit, quae adhuc viuit, perillustris ac generosissima domina ELISABETHA HENRIETTA AMALIA, ex illustri nobilique VOGTIVORVM gente oriunda, quam diuus MOSHEMIVS, quum ad tertia vota transiret, elegit sociam tori, et de qua nihil tam honorifice dici praeclarique potest, quod virtutes eius non promerentur. Minime igitur mirum, DOROTHEAM AVGVSTAM in gremio tam praestantium parentum, qui nihil eorum, quae ad prouidam eius educationem facere poterant, intermisserunt, non fucatae pietatis, cunctaeque cultum laudis, quae sexum decet pulchriorem, animo induisse. Inde ab ineunte aetate inexplebili bonos libros legendi cupiditate flagrabat; quo fiebat, vt non tantum nobilissimas Europae linguis addisceret, verum etiam historiarum, aliarumque rerum vtilissimarum cognitionem acciperet. In Latina lingua tantum profecerat, vt libros, ea scriptos, facile intellegieret; Gallicam vero et Italicam loquebatur expedite et eleganter. Anglice quoque docta erat, ac libros, quos Britannia felix producit, lubentissime lexitabat. Tantum autem absit, vt patrium sermonem aspernata sit, vt potius puritati eius ac nitori studuerit impense. Quam ob causam incluta sodalitas Teutonica Jenensis illam sociae honorariae titulo iudicauit dignissimam, ac licet poetriam se numquam profliteretur, exstant tamen nonnullae, quas composuit, odac, quae benignam ingenii venam produnt. Ad tam varias laudes accedebat singularis modestia. Numquam enim ornamentis, industria sua parcis, vtebatur ad ostentationem; numquam de se dicebat subla-

HIV 5.9.16.6.

26 v

sublatius; numquam alias, minus doctas, contemnebat. Alienā erat ab omni fastu, atque erga omnes comis. Adderemus, quam aequo animo omnia humana ferre potuerit, quam liberalis fuerit et benigna in pauperes, nisi haec cum multis aliis communia habuisse. Anno post reconciliatam gratiam MDCCL, d. V. Ianuarii, nupsit VIRO MAGNIFICO AC GENEROSISSIMO, CHRISTIANO ERNESTO de WINDHEIM, linguarum Orientis et Philosophiae in illustri hac Fridericana professori publico ordinario longe celeberrimo, quem sane hoc tempore, quo ad gubernacula litteraria sedet, grauissimoque munere distinguitur, casus acerbior opprimere haud potuisset, quam ut tam egregia vitae ac fortunarum socia, animae suae dimidio, priuaretur. Quod enim MARCVS IULLIVS CICERO de filia sua Tullia praedicat, *se in ea habuisse, quo confugeret, ubi acquiesceret, cuius in sermone et suauitate omnes curas doloresque deponeret \*\*), illud VIR MAGNIFICVS IN NOSTRA certe habuit. Haec enim operam dedit, ut WINDHEMIVM suum, grauissimis laboribus defatigatum, recrearet; immo labores ipsos leuaret. Itaque saepius prelo subiicienda, si forte non satis nitide scripta esent, sua manu elegantius exarabat, ac ne vocabula Graeca, Ebraica, Arabica, impedimento essent, illa non tantum legere, verum etiam calamo exprimere didicerat. Nihil isto coniugio fuit coniunctius, aut suauius. Prodierunt ex illo duo liberi, optima indole et liberali decoraque specie in spem decusque familiae vigentes, IOANNES AVGVSTVS, et HENRIETTA WILHELMINA DOROTHEA, qui in tenera*

XX iamiam

\*\* CIC. L. IV. ep. VI. ad famil.

iamiam aetate orbitatis suac magnitudinem intelligunt, matremque dulcissimam flebiliter requirunt. Licet autem familiam praesenti vbiique cura regeret DOROTHEA, et in obeundis frugi et prudentis vxoris partibus insignem praestaret virtutem: tamen, inter tot negotia, non modo lectioni optimorum librorum porro vacauit, sed etiam varia scripsit. Etenim celeberrimi PREMONTVALII librum *de monogamia* germanice vertit, ac multa, quae in bibliotheca philosophica MAGNIFICI WINDHEMII, nec non in alio quodam illius opere, quod sub titulo *Bemühungen der Weltweisen des ietzigen Jahrhunderts* prodiit, inueniuntur, composuit. Debemus etiam illius industriae magnam partem versionis itinerary Pocockiani, atque operis chronologici Iacsoniani. Utinam corpus venustum, cuius compagibus includebatur tantus ac tam acer animus, minus fragile fuisset! Sed iam ab aliquo tempore variis conflicitabatur infirmitatibus, ac licet opera, quam potuisset adhibere, illustris atque experientissimus DELIVS noster haud decesset, contumacius tamen se praebebat malum, quam ut generosissimis remedii penitus tolli potuisset. Interdum quidem leuatum, immo sublatum, videbatur; at paullo post maiori vi atque impetu recurrebat. Inter istas valetudinis vicissitudines, animo vere Christiano, Dei O. M. arbitrio totam se permisit defuncta, atque eo minus reformidavit legem fati, quo constantius vitae suae rationes ad diuinæ voluntatis nutum composuerat. Die XXVII mensis superioris, post institutam ante aliquot dies fanguinis missionem, tam belle rufus se habuit, vt

nemo

nemo putasset, mortem fores pulsare. At circiter horam noctis X repente in tantum languorem lapsa est, vt laudatus modo DELIVS (cuius verba, quibus morbi genus delineauit, infra scripsimus \*\*\*),

)( 2 vltima

\*\*) Ex quo beata nostra WINDHEMIA, quanquam corporis structuram, licet venustam et compositam, tamen teneram, et ex sensibilitate in debilitatem proclinem, nacta fuerit, Erlangam delata esset, praeter ea incommoda, quae instantis, et bis celebrati, puerperii temporibus eveniebant, inter quae tamen *haemoptysis* quoque emicabat, satis bene valebat, saltem subuenientes aegritudines breui disparebant, vt cum beata iam nostrae sanitatis restitutio etiam ipsius amicitia, consuetudine, atque ingeniosa sodalitate denuo frui poterimus. Ante triennium autem circiter ex singulare quodam refrigerio, cum animi pathemate iuncto, in grauem, quamque inopinatam, *lypothymiam* cum symbolizantibus *rigoribus* incidit, quae in principio ambiguam tantum prognosin admitebat, deinceps autem, adhibitis nervinis discutientibus, alisque appropriatis remedis, et congruo regimine, meliora pollicebatur. Interim ab eo tempore saepiuscule recursum minitabatur infaustum symptoma, vt etiam *syncopeam* aliquoties faciem indueret. Opponebantur statim, pro re nata, medicamenta tonico-neruina, temperantia, antihysterica, pluraque alia, quae congrua videbantur, ne tam caro ipsius academiae nostrae cimelio, et dulci decori nostro, priuaremur nimis cito. Atque eo quoque peruentum est, vt b. nostra per longa intervalla iterum ad confutatos labores, consuetamque mentis alacritatem, rediret. Per effluxum semelitre hypernum autem *lypothymici adfusus* et fonticæ *vertigines* adeo interdum revertebantur, vt tandem lethale aliquod *animi deliquium* extimescendum esset, ex quo elatiore spiritu imbecille corpus orbaretur. Interim per vltimas hos pauculas ferias nouiter valere visa est, siquidem post institutam, proprio motu, ante aliquot dies venaectionem, crasim sanguinis iam egregie mutata esse, cum hilaritate referrebat, et adhuc d. XXVII. Mart. interdum laeta obambulabat, varios libros, et inter eos, breui ante obitum, beati Parentis Summi MOSHEMI aureum theologiae moralis opus, voluebat, cum dilectissimo marito atque liberis coenabat, atque gratos sermones misciebat. Versus decimam autem dictæ diei labentis horam, *leuore saltem se dentium dolore* adfici professa, lecūum petiebat, atque dormitura dignissimo marito, qui adhuc lucubrationes agebat, salutem dixit. Post nonnulla autem adhuc mixta verba, subito, se lypothymicam euasuram, edixit, atque spiritum neruinum poscit.

ultima illi imminere, statim significaret; pauloque post, cum incredibili omnium bonorum ac totius urbis dolore ac moestitia, placide exspirauit. Nostrum est, illi, dum coelestium confuetudine frui, aeternaque luce gaudere incipit, supremum honorem persoluere. Hodie igitur hora IV pomeridiana fonsus solemnis ritu ducetur in templum academicum, ubi vir amplissimus atque doctissimus, IOANNES CHRISTIANVS ARNOLDVS, Physices Professor Publicus Ordinarius longe celeberrimus, collega noster nobis coniunctissimus, defunctam laudabit. Facile intelligitis, cives, quid a Vobis expectemus. Postulant enim feminae clarissimae virtutes, ac reverentia, quam moestissimo viduo debetis, ut has exequias cumulatissime prosequamini. P. P. ipsis calendis Aprilibus, anno salutis in pristinum restitutae  
cl<sup>o</sup> lccc LXI.

poscit. Hic confestim traditur quidem, at *syncope letali in apoplexiā terminata* iam adficitur nostra adeo, vt cum subito aduocatus confugerem, totius faciei colorem pallidum, extrema frigida et flaccida, collapsa tempora, oculos concavos, peccus rhonchoideum, vitalis sensatio, et pulsus, ne vescigium quidem, inuenirem. Hanc autem tristissimam iam mortis imaginem esse, tristissimus ipse retuli. Simil equidem apporta exemplo et fortiora excitantia externa et interna admouui, verum actutum spiritum, quamvis placidum, tamen extremum, duxit, atque sic femina docta, amica ingeniosa, vehemens sū desiderium, et nunquam intermorituram memoriam, reliquit.



78 M. 404



TA → OL

101722





**AD FVNVS  
 GENEROSISSIMAE DVM VIVERET  
 DOMINAE  
 DOROTHEAE AVGVSTAE  
 MARGARETHAE DE WINDHEIM  
 NATALIBVS MOSHEMIAE**

*VIRI*

CI AC GENEROSISSIMI

**ERNESTI DE WINDHEIM**

ADEMIAE PRORECTORIS

PHIAE ET LL. OO. PVBL. ORDINARI

ANGENSIS DIRECTORIS GYMNASIIQUE SCHOLARCHAE

S DESIDERATISSIMAE

I MART. ANNO MDCCCLXI

IE DEFVNCTAE

CENTIS COMITATVS OFFICIO

COHONESTANDVM

IDERICIANAE EXPRORECTOR

**ELIAS ROSSMANNVS**

H. T. PROCANCELLARIVS

AVIO BRANDENB. CVLMBACENSI

LAE IVRIS AC HISTORIARVM

OR PVBLICVS ORDINARIVS

VNA CVM

SENATV

AMANTER INVITAT.

ERLANGAE

ITERICI MICHAELIS CAMERARII

ADEMIAE TYPOGRAPHI.

